

## PARS SECUNDA.

### DE PECCATIS IN SPECIE.

Peccata dividuntur in originale et in actuale : peccatum actuale est mortale vel veniale ; commissionis vel omissionis ; carnale vel spirituale ; ex infirmitate vel ex malitia ; contra Deum, proximum aut seipsum ; cordis, oris et operis ; capitale vel non capitale.

### CAPUT PRIMUM.

#### DE PECCATO ORIGINALI.

Peccatum originale, sic dictum quia ab origine nostra seu ab Adamo primo parente nostro provenit, definitur : *Peccatum a primo parente in posterum per generationem transmissum*. Dicimus 1° de illius existentia ; 2° de illius natura ; 3° de ejus transmissione ; 4° de ejusdem subjecto, et 5° de illius effectibus.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE PECCATI ORIGINALIS EXISTENTIA.

Peccati originalis existentiam negarunt Pelagius et discipuli ejus Cœlestinus et Julianus, in quarto sæculo ; Albigenses in duodecimo ; Anabaptistæ in decimo sexto ; deinceps Sociniani et nunc innumeri increduli nostri.

#### PROPOSITIO.

*Existit peccatum originale.*

*Prob.* Hæc propositio est de fide ; probatur Scriptura sacra, traditione et ratione.

1° *Est de fide*. In pluribus enim conciliis et a pluribus summis Pontificibus definita fuit contra Pelagianos, ut

vidimus in Tractatu *de Gratia*, et concilium Trid. eam ut de fide catholica tenendam tradit, sess. 5, speciali decreto cui titulus : *De peccato originali*. Ergo 1°.

2° *Prob. Scriptura sacra*. Rom. v, 12 : *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Unde mors est pœna peccati ; et iis infligitur qui peccaverunt in Adamo : porro omnibus infligitur, parvulis sicut adultis ; omnes igitur peccaverunt, et peccati Adami participes facti sunt ; non autem peccaverunt per imitationem, ut volebant Pelagiani, quia parvuli non sunt imitationis capaces : ergo peccati originalis infecti nascuntur, juxta hæc verba : *in quo*, id est in Adamo, *omnes peccaverunt*. Quod, ad Eph. ii, 3, sic exprimit idem Apostolus : *Eramus natura filii iræ sicut et cæteri*. Judæi enim, ut pote ex genere sancto orti, alios populos aspernabantur ut immundos : B. Paulus vero superbiam eorum obtundere volens, declarat eos sicut cæteros, natura esse filios iræ. Ergo.

His B. Apostoli verbis optime concinunt hæc alia Veteris Testamenti, Job, xiv, 4 : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ? Nonne tu qui solus es ?* Agitur ergo de sorde a qua solus Deus mundare potest, ac proinde de peccato proprie dicto, in conceptione transmissio. Septuaginta habent : *Quis mundus erit a sorde ? Nemo, etiamsi unius diei sit vita ejus super terram.*

Ps. l, 7 : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (in textu Hebraico habetur *in iniquitate, in peccato*) : porro ille textus de solo peccato originali intelligendus est, et revera sic eum intellexerunt Judæi et Patres Ecclesiæ, inter quos S. Aug. in hunc locum : « Numquid David de adulterio natus erat, de » Jesse viro justo et conjuge ipsius ? Quid est quod se dicit » in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex » Adam ? Etiam ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est. » Ergo 2°.

3° *Traditione*. Unanimes fuerunt Patres circa hoc dogma, a tempore Pelagianorum, ante Pelagianos autem



plures citari possent, inter quos *S. Justinus*, Dialogo cum Tryphone : « Nec nasci nec crucifigi ideo sustinuit (Christus), quod his rebus indigeret, sed pro humano genere » quod ab Adamo in mortem et serpentis fraudem incidit. »

*Tertull.*, l. de Testimonio animæ, cap. 3, ait hominem a Satana circumventum, præceptum Dei violasse, et addit : « Propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem » fecit. »

*S. Athan.*, in Psal. L, part. 2 : « Ob Adamini iniquitatem, omnes qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur, proavi sui damnatione collapsi. »

Patet ergo sanctos Patres ante Pelagium existentes dogma peccati originalis unanimiter admisisse : unde *S. Aug.* respondet *Pelagio* dicenti transfusionem hujus peccati confictam fuisse (de Nuptiis, l. 2, cap. 12) : « Non ego » finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit » antiquitus ; sed tu qui hoc negas, sine dubio es novus » hæreticus. » Ergo 3<sup>o</sup>.

Qui plurima SS. Patrum ante Pelagianos existentium testimonia legere voluerit, consulat auctores qui de hac questione fusius disseruerunt, et in primis *Bossuet*, *Défense de la Tradition*, l. 8 et 9.

4<sup>o</sup> *Ratione*. 1<sup>o</sup> Semper creditum fuit in Ecclesia, et etiam apud plurimos hæreticos et schismaticos, baptismum necessarium esse ipsis parvulis ad salutem : atqui baptismus necessarius non esset parvulis ad salutem, si peccatum originale non existeret : ergo. 2<sup>o</sup> Cæremoniæ baptismi, ut exorcismi et insufflationes, supponunt parvulos spiritui immundo subjectos esse ; ergo habent peccatum originale, et natura sunt filii iræ. 3<sup>o</sup> Christus semper exhibetur ut Redemptor omnium parvulorum sicut adultorum : at Redemptor parvulorum non esset, nisi peccatum originale existeret. 4<sup>o</sup> Natura hominis, multis miseris obnoxii, admissio peccato originali facile explicatur, et absque peccato originali nulla ratione explicari potest : unde *Pascal*, *Pensées* : « L'homme est plus incon-

» cevable sans ce mystère, que ce mystère n'est inconcevable à l'homme. » Ergo, etc. Aliunde, etc. Ergo.

*Obj.* 1<sup>o</sup>. *Ezech.* XVIII, 20 : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur ; filius non portabit iniquitatem patris* : at si peccatum originale existeret, filius portaret iniquitatem patris : ergo.

*R. Dist. maj.* Filius non portabit iniquitatem patris, si illius non fuerit particeps, *conc.* ; si illius fuerit particeps, *nego maj.* Porro omnes homines facti sunt participes peccati Adamini *non proprietate actionis*, inquit *S. Aug.*, contra *Julianum*, l. 6, cap. 9, n. 28, *sed contagione propagationis* : Adam enim peccando sublimes amisit prærogativas quibus gratuito fuerat cumulatus : ex hoc momento habuit naturam collapsam et vitiosam ; qualem habebat eam filiis suis tradidit. Sic omnes ab eo descendentes propter suam originem sunt vitiati, et natura filii iræ ideoque penis subjecti, licet reatum peccati ab Adamo commissi in anima sua non habeant impressum. Verum est ergo filium non portare iniquitatem patris, eo sensu quod sit reus coram Deo propter patrem ; sed non repugnat illum aliquo sensu ob malam agendi rationem patris detrimentum pati. Nonne filii patris qui culpa sua bona et honores amisit, nascuntur pauperes, abjecti et miseri ? Ita et qui ab Adamo descendunt privati sunt gratia sanctificante, animam relative ad Deum vivificante. Sunt igitur in statu mortis et miseris hujus vitæ obnoxii.

*Obj.* 2<sup>o</sup>. *B. Paulus*, Rom. v, 19, ait : *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justii constituentur multi* : at si peccatum Adamini propagatione transmitteretur, non multi, sed omnes constituti essent peccatores : ergo non propagatione, sed imitatione peccatum Adamini transmittitur.

*R. Dist. textum.* Peccatores constituti sunt multi, id est, omnes qui sunt multi, *conc.* ; multi tanquam pars posterorum Adæ, *nego*. Etenim omnes non semper sunt multi ; v. g., si unus homo tres aut quatuor habens filios cuncta sua bona amittat, dici potest eum omnes filios suos culpa sua constituisse miseros ; falso vero diceretur eum multos



in communem ruinam sic duxisse. Verum cum ex Adamo descendentes sint innumeri, recte dicitur per unius inobedientiam multos constitutos fuisse peccatores, ut clarius ostendatur unius peccati efficacia, et unius gratiæ abundantia. Hunc esse sensum Apostoli patet ex verbis præcedentibus, in quibus totus est ut ostendat omnes in Christo vivificari, sicut omnes in primo parente mortui sunt. Ergo.

*Inst. 1<sup>o</sup>.* Non omnes vivificantur in Christo: ergo nec omnes peccaverunt in Adamo.

*R. Nego conseq.* Sensus enim comparationis est Christum esse principium vitæ, sicut Adam fuit principium mortis: igitur cum omnes ex Adamo descendentes peccato ejus infecti sunt, ita omnes qui in Christo renascuntur, meritis ejus vivificantur. Unde patet sensus aliorum ejusdem Apostoli verborum, v. g., I Cor. xv, 22: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*; id est, Christus est principium vitæ sicut Adam est principium mortis. Ergo.

*Inst. 2<sup>o</sup>.* B. Paulus, Rom. v, 15, ait gratiam Jesu Christi delictum superare et in plures abundare: ergo delictum non omnes inficit, cum gratia in plures abundet.

*R. 1<sup>o</sup>.* In textu græco non legitur in plures, sed in multos, et tunc redit responsio nostra modo allata.

*R. 2<sup>o</sup>.* *Nego conseq.* Ex toto enim contextu patet Apostolum non multitudinem eorum qui gratiæ Christi participes fiunt urgere, sed copiam beneficiorum Christi per oppositionem ad delictum primi hominis: *Non sicut delictum ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*, id est in multos, non unum tantum remittens peccatum, sed multa, et innumera conferens dona ad animæ sanctificationem, ad perseverantiam et gloriam æternam ordinata. Ergo.

*Inst. 3<sup>o</sup>.* Idem B. Paulus, ibid. v, 13, ait: *Usque ad legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset*: ergo peccatum de quo hic agitur, non est originale, sed actuale, siquidem ante legem Moysis non imputabatur.

*R. Nego conseq.* Nam Apostolus statim subjungit, v. 14: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*: ergo etiam ii qui actualiter non peccaverant, sicut Adam peccaverat, peccato erant maculati; morti enim erant obnoxii: mors autem per peccatum fuit introducta, et ad eos qui in primo parente peccaverint transiit. Ergo. Nonne evidenter constat, ex præcedentibus verbis, posteros Adæ peccati ejus participes fieri aliter quam per imitationem, ut volebat *Pelagius*? Ergo.

Quædam obijciuntur testimonia Patrum, v. g., 1<sup>o</sup> *Tertulliani*, l. de Anima, cap. 39: « Nulla ferme nativitas munda est, utique ethnicorum. Hinc enim et Apostolus » ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam » ex seminis prærogativa, quam ex institutionis disciplina. » 2<sup>o</sup> *S. Chrysost.* a *S. Aug.* relatus, contra *Julianum* l. 1, cap. 6, n. 21: « Hac de causa infantes baptizamus, » cum non sint inquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, » justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus » membra sint. »

Verum 1<sup>o</sup> *Tertullianus* filios fidelium vocat sanctos, quia, baptismum suscepturi, sanctitati erant destinati, per oppositionem ad filios infidelium qui in partu superstitionis sorde fœdabantur, et *Lucinæ Dianæque* devovebantur. Cæterum, in ipsomet loco citato, peccati originalis existentiam ac Baptismatis necessitatem pro parvulis agnoscit. 2<sup>o</sup> *S. Chrysost.* de solis peccatis actualibus loquitur, ut fuse *S. Aug.* ostendit, respondens *Juliano* illo textu abutenti et peccato pro peccatis poneati. Aliunde *S. Joannes Chrysost.*, sicut cæteri doctores, dogma peccati originalis aperte docet ibid. dicens: « Quando Adam peccavit illud » grande peccatum, et omne genus hominum in commune » damnavit. » Ergo.

*Obj. 3<sup>o</sup>.* Peccati originalis existentia cum attributis Dei conciliari non potest; repugnat enim ipsius justitiæ et bonitati omnes Adami posteros macula peccati ejus fœdari, et pro ipsius peccato puniri. Ergo.

*R. Nego ant.* Ex momentis enim a nobis superius expo-



sitis et ex aliis quæ afferri potuissent, constat peccati originalis existentiam revelatam fuisse; eo ipso tenendum est illam attributis Dei non repugnare.

Etenim, quidquid olim dixerunt Pelagiani, et nunc obijciunt deistæ, probat quidem dogma transmissionis peccati originalis esse mysterium rationi nostræ non clare obvium: at nulla demonstratur absurditas, nulla repugnantia proprie dicta. Porro fides vacillare non debet propter obscura nec propter impenetrabilia, ut jam multoties ostendimus. Ergo. *Hæc solutio ex modo dicendis clarius patebit.*

### ARTICULUS SECUNDUS.

#### DE NATURA PECCATI ORIGINALIS.

1° Communius docent Lutherani et Calvinistæ peccati originalis essentiam nihil aliud esse quam concupiscentiam seu propensionem in nobis existentem et ad malum inclinantem.

Sed eorum sententia confutatur duabus præsertim rationibus: 1° *concilio Trident.*, sess. 5, can. 5, anathema pronuntiante contra illos qui dixerint reatum peccati originalis in baptismo non remitti, aut totum id quod veram et propriam peccati rationem habet non tolli, sed tantum radi et non imputari: at certe concupiscentia non tollitur: ergo. 2° *Scriptura sacra.* Rom. VIII, 1: *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*, id est, nihil est damnatione dignum: remanet tamen concupiscentia. Ergo.

2° *Mathias Illyricus*, Lutheranus, contendit peccatum originale non esse aliquod accidens, sed ipsam animæ substantiam ex peccato Adami corruptam. Refellitur autem ipsa opinio; 1° quia tunc Deus, qui creat animam, auctor esset peccati; 2° quia per baptismum omne tollitur peccatum, et tamen substantia animæ non mutatur; 3° quia impossibile est peccatum Adæ substantiam animæ nondum existentis corrupisse. Ergo.

3° *Pighius*, doctor in theologia, et *Catharinus*, religiosus ordinis Prædicatorum, docuerunt peccatum originale

animæ singulorum hominum non inhærere, sed unicum esse, videlicet peccatum Adami, in omnes extrinsece dominans eosque peccatores constituens, quia ipsis imputatur. Hæc opinio subvertere videtur dogma peccati originalis, quod dicitur in omnes homines pertransiisse, omnibus transfusum, unicuique proprium, etc.

4° Plures antiquiores theologi, post Petrum Lombardum, essentiam peccati originalis reposuerunt in duplici qualitate morbida, una carnis et alter animæ: prior per generationem carnalem contrahitur, et caro sic infecta vitium suum animæ eo instanti quo sibi unitur communicat. Sed opinio ista admitti non potest, et ab omnibus rejicitur, 1° quia hæc morbida qualitas rationem formalem peccati non habet; 2° quia hic languor, hæc dolenda carnis concupiscentia de qua arguunt prædicti theologi, remanent etiam post baptismum susceptum, qui tamen, ut fides docet, peccatum originale tollit; 3° quia si hæc morbida qualitas esset quid positivum et simul peccaminosum, Deus ipse videretur auctor peccati; 4° quia minime intelligitur quomodo talis morbida qualitas a carne ad animam transiret. Ergo.

5° Nonnulli contenderunt materiale peccati originalis consistere in concupiscentia, et formale in reatu. Verum illud systema nihil explicat; reatus enim peccati est ipsum peccatum formaliter sumptum: at ridiculum est dicere peccatum originale in eo consistere quod habet rationem peccati. *S. Aug.* pluribus in locis distinguit quidem reatum peccati originalis a concupiscentia, sed non ut illius peccati essentiam assignet, bene vero reatum pro ipsa culpa sumens.

6° Alii multi, et quidem juxta nos merito, naturam peccati originalis sic explicant: Ab initio Adam constitutus fuerat in justitia originali, gratia sanctificante et aliis donis indebitis instructus. Hæc omnia, ex ordinatione divina, fidelitate sua sibimetipsi servare posterisque transmittere debebat; sed, peccando, et sibi et illis amisit, ipse peccati actualis reus et simul omnibus donis supradictis privatus, posterius vero in ea privatione tantum



constituti, quæ dicitur peccatum originale quia a peccato oritur et quia, cum ordinationi Dei ejusque bonitatis consiliis adeo adversetur, omnes homines illius oculis odibiles facit indignosque supernaturali felicitate ipsis destinata.

De sanctitate primæva protoparentum in Tract. de Gratia egimus, ubi varios Scripturæ conciliique Tridentini textus citavimus.

Cæterum fides peccatum originale ut dogma fundamentale docet, ratio et experientia illius existentiam suadent: numquid obscuritates, quantumvis inscrutabiles, veritatem sic aperte traditam labefactare possent?

### ARTICULUS TERTIUS.

#### DE PECCATI ORIGINALIS TRANSMISSIONE.

Supponendum est mentes humanas non fuisse creatas in origine rerum, nec esse portiones divinitatis, nec ex animabus parentum traduci, sed a Deo immediate creari, quando novum corpus humanum formatur, ut in *Metaphysica ostendimus*: quæstio est igitur quomodo anima, a Deo immediate creata, labem peccati originalis contrahat.

1° Quidam, supponentes corpus, ex Adamo per naturalem generationem descendens, esse vitiatum, dicunt animam ex natura rei inquinari eo instanti quo in illud infunditur, sicut liquor in vase vitiato corrumpitur, et sicut ipsa anima corpori vulnerato vel flammis conjuncta, statim doleret. Sed hanc hypothesim modo impugnavimus; unde rejiciendum est prorsus medium transmissionis hic indigitatum. Aliunde, quomodo substantia immaterialis per unionem cum substantia materiali ex natura rei coinquinari posset?

2° Alii docent concupiscentiam generationi naturaliter conjunctam esse, et per illam peccatum in animam transfundi. Sic *Lutherus, Calvinus, Jansenius*, etc. Ista autem sententia iisdem rationibus ac præcedens refellitur.

3° Alii in omnibus Adami posteris interpretativam ad-

mittunt voluntatem, vi cujus causam suam et suas voluntates Adamo commisisse censentur, ita ut si omnes tunc exstitissent, pacto inter Deum et Adamum inito consensissent, et illud cum ipso Adamo transgressi fuissent. At consensus voluntatis nondum existentis illusorius esse videtur: minime explicatur qua ratione peccatum reale et proprie dictum in animam, e manibus Dei summe justi egredientem, statim infunditur.

4° Ex sententia a nobis exposita, art. præc. ad 6°, circa naturam peccati originalis, jam nulla est difficultas quoad ejus transmissionem. Deus creando animas, eas donis indebitis protoparentibus concessis spoliatis relinquit, et sic statim constituuntur in statu qui per se non repugnat ipsius bonitati et justitiæ, et quem odit tantum propter perturbationem ordinationis suæ. Sicut rex a populo electus cum titulo hæreditatis, qui, pactum fundamentale transgrediens et a potestate excidens, totam dynastiam suam in ruinam communem trahit; sic Adam, caput morale totius generis humani constitutus, omnes posteros suos, quorum sors et dignitas ejus fidelitati committebatur, secum perdidit.

Hæc opinio, quæ publice docetur Romæ, nihil habet fidei catholicæ oppositum. Ea autem admissa, præcipue difficultates ab incredulis objectæ evanescent.

Quilibet tamen catholicus libenter dicere debet cum *S. Aug.* de transmissione peccati originalis disserente contra *Julianum*, l. 5, cap. 4: Magis curandum est, sive in » parvulis, sive in grandibus, quo anima sanetur auxilio, » quam quo vitiosa sit merito: quæ tamen si vitiosa negabitur, nec sanabitur. »

Queritur 1° quodnam peccatum Adæ causa peccati originalis fuerit?

R. Ex Gen. II, 17, et III, 6, et ex Epist. ad Rom. v, 19, fuit peccatum inobedientiæ, cui annexa erat superbia et amor inordinatus scientiæ. Ut probabilius docet *Billuart* peccatum istud fuisse primum Adami, quia ex hoc interrupta est innocentia primi status, inquit *S. Th.* 2 2, q. 63, art. 3, ad 2.



Cætera autem primi parentis peccata ad posteros non transmissa sunt; quia, justitia originali semel amissa, primus parens ut caput morale hominum, ita a Deo constitutum respectu justitiæ originalis conservandæ aut amittendæ, jam non agebat peccando.

*Quæritur 2º quid contigisset si sola Eva peccasset?*

*R.* Peccatum originale non exstisset, quia non erat constituta caput generis humani: unde, quamvis peccaverit et Adamum ad peccandum induxerit, non dicitur tamen peccatum per eam in mundum fuisse inductum, sed *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit; per unius delictum; per unius inobedientiam.* Ergo.

Similiter si, perseverante Adamo, unus ex posteris ejus peccasset, hujus descendentes peccatum originale non habuissent, propter eandem rationem, quia scilicet solus Adamus caput generis constitutus, sortem ejus in se, per speciale Dei decretum, habebat.

Contra vero, si Adamus filium ante peccatum suum habuisset, ille filius et ejus posterii peccati originalis participes non fuissent; non enim ex lumbis hominis lapsi descendissent. Ergo.

#### ARTICULUS QUARTUS.

##### DE PECCATI ORIGINALIS SUBJECTO.

Tam generalia sunt testimonia quibus peccati originalis existentia astruitur, ut omnes homines via naturali ex Adamo descendentes illo coinquinati debeant judicari, nisi privilegio speciali ab illo fuerint exempti.

Dicimus *via naturali*: unde eximitur Christus, et alii similiter qui per miraculum formarentur.

Duo hic occurrunt puncta controversa, unum inter catholicos et Calvinistas, et alterum inter solos catholicos. Calvinistæ volunt peccatum originale in omnibus quidem existere, sed filiis fidelium non imputari, quia justitia parentum, per fidem apprehensa et peccata cooperiens, ipsi communicatur. Verum singulare hoc systema, nullo fundamento innixum, contrarium est 1º Scripturæ et SS. Pa-

trum textibus ad probandam peccati originalis existentiam allatis, qui filios fidelium minime excipiunt, sed eos tradunt ut *natura filios iræ* sicut cæteros; 2º praxi Ecclesiæ, quæ semper sollicita est ut filii fidelium gratia baptismatis non carerent; 3º concilio Tridentino, sess. 5, can. 4, sic habenti: « Si quis parvulos recentes ab uteris » matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis » parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit » expiari... anathema sit. » Ergo. Restat ergo controversia inter catholicos, quæ habet pro objecto conceptionem B. Mariæ Virginis. De illa seorsim dicemus.

##### § UNICUS. — De Conceptione B. Mariæ Virginis.

Omnes catholici fatentur B. Virginem Mariam ante ortum fuisse sanctam. Unde nativitas ejus, sicut nativitas S. Joannis Baptistæ, festo solemniori multis sæculis celebratur: « In codice Sacramentorum ecclesiæ Romanæ per » venerabilem cardinalem Thomasium edito, qui creditur » esse *S. Leonis Magni* aliorumque prædecessorum Pontificum, habetur missa in Nativitate S. Mariæ cum propriis orationibus... In libro Sacramentorum *S. Gregorii* » sunt orationes ad matutinum, ad processionem et ad » missam in Nativitate B. Virginis Mariæ. » Sunt verba *Bened. XIV*, de festis B. Mariæ, l. 2, cap. 9.

Referente eodem Pontifice, ibid. cap. 15, n. 17, Emmanuel Comnenus, imperator Constantinopolitanus, anno 1180 vita functus, recensens festa quæ a populo essent observanda, memorat Conceptionem Genitricis Dei. Ex aliis testimoniis in eodem loco recensitis constat illud festum jam fuisse vetus in Oriente: in Occidente vero *S. Anselmus*, Cantuariensis archiepiscopus, anno 1109 obitus, revelatione a quodam ejus regionis abbate accepta permotus, quibusdam hanc festivitatem observare indulset, juxta plures, aliis contradicentibus. Quidquid sit, certum est hoc festum in duodecimo sæculo celebratum fuisse



in Anglia, ex Anglia in Normanniam, inde in Gallias et ad ecclesiam Lugdunensem transiisse tempore *S. Bernardi*, anno 1153 defuncti. Hoc idem festum Romæ ceptum est celebrari ab aliquibus ætate *S. Bonaventuræ*, qui obiit anno 1274, ut ipse testatur in *Sentent.*, l. 3, dist. 3, q. 1, nolens eos nec omnino laudare, nec simpliciter approbare: deinde mos illud celebrandi invaluit, universalis fuit, et Sixtus IV, in constitutione anni 1483, ait: « Sane cum » sancta Romana ecclesia de intemperatæ semperque Virgini- » nis Mariæ Conceptione publice festum solemniter cele- » bret, et speciale ac proprium super hoc officium ordi- » naverit, etc. »

Jam vero tres sunt theologorum sententiæ circa ipsam B. Mariæ Virginis conceptionem.

1° Omnes fere Thomistæ usque ad præsens tempus opinabantur sanctam Virginem peccatum originale, sicut cæteros Adæ filios, contraxisse, et ab illo in utero matris suæ speciali gratia mundatam fuisse, ut tenetur de *Jeremia*, ex cap. 1, 5: *Antequam exires de vulva, sanctificavi te*; et de *S. Joanne Baptista*, ex *Luc.* 1, 41 et 44. Nihilominus festum Conceptionis sincero cultu celebrabant, 1° quia conceptio Virginis, ad tanta mysteria destinata, verum fuit beneficium mundo concessum et pignus certum redemptionis; 2° quia hæc sanctissima Virgo ex matre sterili non nisi per miraculum fuit concepta; 3° quia illud festum habere potest pro objecto conceptionem dictæ Virginis in gratia, seu illius sanctificationem in utero matris suæ.

2° Quidam, vehementi zelo erga B. Virginem Mariam inflammati, docuerunt illam in æterno Dei decreto de futura peccati originalis existentia, supposito Adami lapsu, comprehensam non fuisse, atque ideo non tantum a macula illius peccati semper mundam, sed etiam ab ipsius debito exemptam fuisse.

3° Alii vero catholici nunc fere unanimiter docent quidem B. Virginem, ut pote ex Adamo carnali generatione descendente, peccato originali, sicut cæteros, subjectam fuisse, sed Deum eam sanctificasse vi redemptionis futuræ,

eo instanti quo formaretur, ita ut labem peccati nunquam de facto habuerit. Duo igitur in ea sententia sunt probanda, scilicet 1° B. Mariam Virginem debitum peccati originalis habuisse, et 2° eam siue labe peccati conceptam fuisse.

Quidquid sit de his rationibus, hodie ipsimet ordinis Prædicatorum patres, cum cæteris fere omnibus catholicis sentiunt, siquidem a summo Pontifice Pio IX postulaverunt quod conceptio B. Mariæ Virginis immaculata de fide catholica declararetur.

## PROPOSITIO PRIMA.

*B. Virgo Maria debitum peccati originalis habuit.*

*Probatur multiplici ratione.* 1° Ex verbis B. Pauli ad Romanos, omnes ab Adamo carnali generatione descendentes in eo peccaverunt; nulla admittitur exceptio: at B. Virgo ab Adamo carnali generatione descendit: ergo. 2° Mors in omnes qui in Adamo peccaverunt pertransiit; sicque velut stipendium peccati exhibetur: atqui B. Virgo mortua est: ergo. 3° Christus est *salvator omnium hominum*, I ad *Tim.* iv, 10, ac proinde B. Virginis, sicut aliorum: si autem B. Virgo peccatum originale non habuerit etiam quoad debitum, quomodo redimi potuit? 4° Ex variis testimoniis constat SS. Patres credidisse carnem B. Virginis fuisse carnem peccati, de peccato conceptam esse, etc., v. g.: « Solus homo factus, manens Deus, peccatum nullum habuit unquam, nec sumpsit carnem » peccati, quamvis de materna carne peccati; *S. Aug.* de » Peccatorum, etc. (t. 10, p. 61). Caro Mariæ quæ in ini- » quitatibus humana fuerat solemnitate concepta, caro » fuit utique peccati; » *S. Fulgentius*, lib. de Incarnatione et Gratia, cap. 6, n. 13. Hæc autem aliaque similia supponunt B. Virginem peccato originali saltem quoad debitum fuisse subjectam. Ergo.

## PROPOSITIO SECUNDA.

*B. Virgo sine labe peccati fuit concepta.*

*Prob.* Auctoritate concilii Basiliensis, concilii Triden-



tini, summorum Pontificum, Facultatis Parisiensis aliarumque Facultatum, et praxi Ecclesiae.

1<sup>o</sup> *Auctoritate concilii Basileensis*, quod, sess. 36 (*Labbe*, t. 12), tradit doctrinam de immaculata conceptione B. Mariæ Virginis, « tanquam piam et consonam cultui ecclesie » siastico, fidei catholice, rectæ rationi et Scripturæ, ab » omnibus catholicis approbandam, tenendam et amplectendam. » *Notandum* illud concilium tunc non fuisse œcumenicum, quia maxima pars episcoporum Eugenium IV, aliud concilium Florentiæ celebrantem, adierat: unde ejus decretum multum infirmatur; ostendit tamen opinionem tunc vigentem.

2<sup>o</sup> *Auctoritate concilii Tridentini*, quod, sess. 5, post decretum de peccati originalis existentia, addit: « Non esse » suæ intentionis comprehendere in hoc decreto beatam » et immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem. » *Notandum* sanctum concilium emisisse conclusionem ut declararetur positive beatam Virginem conceptam fuisse sine peccato; *sed ob instantissimas preces aliquorum theologorum sancti Dominici, ut supersederent a decreto usque ad aliud tempus, concilium supersedit. S. Ligorius*, l. 7, n. 255.

3<sup>o</sup> *Auctoritate SS. Pontificum*, nempe Sixti IV, qui, in constitutione superius citata, vetat, sub pena excommunicationis Romano pontifici reservatæ, ne quis asserere audeat eos qui tenent gloriosam atque immaculatam Dei Genitricem absque peccati originalis labe conceptam fuisse, mortaliter peccare aut hæreticos esse. Jam idem Pontifex, altera constitutione anni 1476, indulgentias concesserat iis qui in festo Conceptionis missam et officium a se approbatum recitarent, vel Horis canonicis adessent. Concilium Trid. has Sixti IV constitutiones sub pœnis in eis contentis renovavit, loco citato.

S. Pius V, anno 1570, vetuit ne quis alterutram opinionem notare auderet tanquam erroneam, aut etiam de illa in publicis concionibus disceptare, propter scandala inde provenientia; bullas tamen Sixti IV ac decretum concilii Tridentini eadem constitutione confirmavit; imo et pro toto orbe christiano, per missale et breviarium ejus cura

et mandato edita, festum conceptionis B. V. Mariæ confirmavit. Idem decretum et omnes præcedentes bullas confirmavit Paulus V, anno 1616, alias addens penas contra eos qui parere detrectaverint. Gregorius XV, anno 1622, stricte prohibuit ne sententia immaculatæ conceptioni adversa etiam in privatis actibus defenderetur, iis duntaxat exceptis quibus sedes Apostolica id permisisset: permisit autem Dominicis, dummodo privatim et inter se tantum ea de re sermonem haberent. Anno 1661, Alexander VII edidit constitutionem, cui titulus: *Innovatio constitutionum et decretorum in favorem sententiæ affirmantis animam B. Mariæ Virginis, in sua creatione, fuisse ab originali peccato præservatam, editorum*. Clemens XI, die 6 decembris 1708, festum Conceptionis de præcepto pro omnibus effecit, illudque cappella Papali Benedictus XIV in perpetuum ampliavit.

Die 7 maii 1847, plusquam ducenti et quinquaginta episcopi vel cathedralia capitula, etiam exceptis ordinum vel congregationum pluribus superioribus, a Gregorio XVI et a Pio IX obtinuerant facultatem *immaculatam* conceptionem sive in præfatione dicti festi, sive in litaniiis profitendi, et ipsa Romana ecclesia, die 8 decembris 1847, illam similiter professæ est. Tandem, Pius IX, in admirabili Encyclica *Ubi primum*, diei 2 februarii 1849, ab omnibus episcopis requisivit consilium de conceptione immaculata solemniter de fide catholica declaranda. In eadem Encyclica, omnibus, pro arbitrio tamen episcoporum, peculiare et recens de B. Virginis Mariæ conceptione officium permittit.

4<sup>o</sup> *Auctoritate Facultatis Parisiensis aliarumque Facultatum*. Tempore concilii Basileensis, celebris illa Facultas jam tuebatur opinionem immaculatæ conceptioni faventem: quoniam vero quidam doctores adversus illam disceptaverunt, etiam publice, et non sine populi scandalo, statuit, anno 1496, ut nemo deinceps sibi ascriberetur, « nisi promitteret sub juramento se pro viribus semper » defensurum sententiam, quæ benedictissimam Dei Matrem ab originali peccato, Dei singulari dono, fuisse



» præservatam affirmat. » Aliæ Facultates theologicæ omniaque seminaria eandem tenent doctrinam. Ergo.

5<sup>o</sup> *Praxi Ecclesiæ*. Ubique enim nunc celebratur festum immaculatæ Conceptionis; ubique exstant sodalitates vel pia exercitia in honorem hujuscæ mysterii, publicantur indulgentiæ lucrandæ, eriguntur templa, exponuntur tabellæ, etc. Omnes fideles persuasum habent Ecclesiam docere B. Mariam vere immaculatam fuisse in sua conceptione, et nullibi pastores eos a tali persuasione revocare conantur, sed, e contra, eos magis ac magis in ea sententia obfirmant: ita ut, si hæc doctrina tanquam de fide definiretur, nulla fere nunc fieret immutatio in praxi Ecclesiæ et fidelium.

Nemo etiam non videt quantum robur persuasioni fidelium addiderint ipsa supradicta Pii IX Encyclica et vota a plerisque episcopis, imo et a quibusdam conciliis provincialibus in Gallia jam emissa. Ergo 5<sup>o</sup>, etc. Aliunde, etc. Ergo.

*Notandum* tamen hanc de conceptione B. Mariæ Virginis doctrinam non esse de fide, nec ad fidem pertinere; nulla enim huc usque prodiit hac de re decisio dogmatica, neque a concilio Tridentino, neque a pontificibus Romanis, ut expresse notat *Benedictus XIV*, de Festis, l. 2, cap. 15, n. 24, referens in numero superiori Clementem XI noluisse ut festum inscriberetur *immaculatæ Conceptionis*, sed *Conceptionis Virginis immaculatæ*. Postea tamen ipse addit: « Huic sermone nostro finem imponentes, declaramus totos nos animo immaculatæ conceptionis B. Mariæ sequi sententiam. » Unde illustrissimus noster *Bossuet*, *Sermon sur la Conception*: « En vérité, cette opinion » a je ne sais quelle force qui persuade les âmes pieuses. » Après les articles de foi, je ne vois guère de chose plus assurée. »

Obijciuntur 1<sup>o</sup> *S. Bernardus* qui, in Epist. ad canonicos Lugdunenses, queritur ipsos novam inducere celebritatem quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. In sermone 2 in Assumpt., n. 8, t. 1, dicit quod si originalem a parentibus culpam traxit, sed

minus a *Jeremia* sanctitatem in utero, aut non magis a *Joanne Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas christiana*. 2<sup>o</sup> *S. Th.* qui 3 part. q. 27, art. 2, ex professo docet B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam.

Plerique recentes theologi demonstrare conantur hunc utrumque sanctum Doctorem immaculatæ conceptioni reipsa non adversari, sed frustra, ut nobis videtur. At libenter admittimus eos sententiam mutatuos fuisse, si, tempore nostro viventes, festum Conceptionis, decreta conciliorum et suorum Pontificum constitutiones novissent. *Sanctus* enim *Bernardus* suam Epistolam ad canonicos Lugdunenses sic concludit: « Quæ autem dixi absque » præjudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanæ » præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, » sicut et cætera quæ ejusmodi sunt, universa reservo: » ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare. »

*Hinc inferimus* textus *S. Augustini* et *S. Hieronymi*, quos multi auctores in gratiam immaculatæ conceptionis referunt aut de peccato originali non intelligendos esse, sed tantum de actuali, aut saltem non esse claros, aliouin *S. Bernardus* et *S. Th.* eos non ignorassent, et illos cognoscentes, contrariam opinionem non defendissent.

Circa hanc quæstionem, de qua plurima prodierunt eximia opera, utilissime legentur doctæ dissertationes card. *Lambruschini*, R. P. *Perrone*, paucis abhinc annis editæ, et recentius opus R. P. *Guéranger*, abbatis Solesmensis.

## ARTICULUS QUINTUS.

### DE PECCATI ORIGINALIS EFFECTIBUS.

Alii effectus peccati originalis respiciunt præsentem vitam et alii futuram.

In præsentem vitam, alii spectant ad corpus et alii ad animam. Effectus hujusmodi peccati quoad corpus, sunt: 1<sup>o</sup> mors, quam Deus, prohibendo homini ne de ligno scientiæ boni et mali comederet, minatus est; 2<sup>o</sup> miseriæ hujus vitæ in numero prope infinitæ, quæ, velut cohors satellitum diaboli, vitam humanam continuo lacessunt,



dōnec eam destruant; sunt enim appendix mortis per peccatum introductæ, et certum est, primo parente in iustitia originali perseverante, hanc miseriarum catervam non exstitisse.

Effectus peccati originalis quoad animam in hac vita, sunt: 1° concupiscentia, seu illa vehemens ad malum proclivitas, cui nascimur obnoxii; 2° ignorantia qua omnes laboramus, ita ut mens nostra ne advertat quidem quid boni sit agendum, quid mali fugiendum, et sibi derelicta, in perpetuas incidat allucinationes; 3° voluntatis imbecillitas, qua fit ut bonum propositum sæpe non audeamus concipere, et sapius a concepto tam facile recedamus. Quamvis fingi possit status naturæ puræ, in quo homines ignorantia, concupiscentiæ, saltem in aliquo gradu, et miseriis strictè obnoxii fuissent, nihilominus ex revelatione constat hæc omnia, in præsentī rerum ordine, peccati originalis esse consecutaria: *Quoniam Deus creavit hominem inextermīnabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Sap. II, 24.

Circa effectus peccati originalis, quoad vitam futuram, aliquid est certum, et aliquid dubium.

Certum est peccatum originale a regno cœlorum excludere, juxta hæc verba Joan., III, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum*: id fatebantur Pelagiani de ipsis parvulis sine Baptismo decedentibus. Sed illis tribuebant vitam æternam extra regnum cœlorum, non explicantes in quo hæc vita æterna consisteret, an in visione Dei beatifica, an in quadam beatitudine naturali. Probabilius videtur eos beatitudinem naturalem in mente habuisse. Cæterum errabant fictitiam inducentes distinctionem inter regnum cœlorum et vitam æternam simpliciter: in eodem enim capite Evangelii secundum Joannem, quod dicitur regnum cœlorum, vocatur etiam vita æterna, nempe v. 16, ubi legitur Deum dedisse Filium suum unigenitum, *ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ergo.

Dubium est autem quis futurus sit status eorum qui cum solo peccato originali decedunt. De hoc in sequenti paragrafo.

§ UNICUS. — De statu eorum qui cum solo peccato originali decedunt.

Cum fides Christiana id unum doceat, scilicet, solo etiam peccato originali maculatos a regno Dei, ac proinde a vita æterna proprie dicta exsules semper mansuros esse, sapientius fuisset nihil ultra inquirere; hinc enim sufficienter patet, 1° nos æternas Christo Salvatori nostro debere gratiarum actiones pro immenso redemptionis beneficio; 2° valde necessarium esse Baptismum, etiam parvulis; 3° ex statu futuro parvulorum sine Baptismate decedentium incassum argumentari incredulos contra religionis Christianæ veritatem, quasi teneret dogma bonitati et iustitiæ Dei adversum; cum enim vita æterna sit in ordine supernaturali, homo nullum habet jus, ex natura sua, eam consequendi, sed tantum ex beneficio Dei: porro nunquam demonstrabitur repugnare filios, ob culpam patris, a beneficio gratis præstito excidere: ergo.

Attamen theologi, de sorte parvulorum sine Baptismate decedentium forte plus æquo solliciti, futuram eorum conditionem assignare conati sunt, et in varias abierunt sententias, ut fieri solet in rebus obscuris.

Prima eorum est qui contendunt hujusmodi parvulos pœna ignis, sed mitissima, in æternum cruciandos esse: ita *Gregorius Ariminiensis*, generalis Augustinorum præpositus, anno 1337 vita functus; *Sylvius*, *Petavius*, cardinalis *Noris*, *Lherminier*, *Henricus a S. Ignatio*, *Theologus Lugdunensis*, etc. Defensores hujus sententiæ nituntur textibus Scripturæ in quibus agitur de vivis et mortuis in duas classes tantum divisas, plurimum SS. Patrum et præsertim *S. Aug.* testimonio, et concilio Florentino, in sessione ultima statuente (*Labbe*, t. 13), « illorum animas » qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, » mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus » puniendas. »



Secunda sententia docet parvulos cum solo peccato originali inortuos, quamdam habituros esse beatitudinem naturalem, in naturali Dei cognitione et amore fundatam, atque post diem iudicii in quodam paradiso terrestri vitam perpetuo beatam acturos, plenos sapientia et virtutibus, sua sorte optime contentos, Deum toto corde diligentes et laudantes, Angelorum denique consortio et revelationibus sæpe fruente. Ita *Catharinus*, dominicanus, qui concilio Tridentino adfuit; *Albertus Pighius*, et postea cardin. *Sfondrate*, in libro cui titulus: *Nodus Prædestinationis dissolutus*, anno 1696 Romæ typis mandato, quem *Bossuet*, cum quatuor aliis episcopis, Innocentio XII denuntiavit per longam et communem epistolam inter sua opera exstantem.

Hæc sententia procul rejicienda est; 1<sup>o</sup> enim natura sumus filii iræ, filii diaboli, immundi, peccatores, ut ex Scriptura et SS. Patribus constat: at repugnat filios iræ, filios diaboli, immundos et peccatores beatitudinis naturalis in quodam paradiso terrestri, perpetuo fruituros esse. 2<sup>o</sup> *S. Aug.*, de Anima et hujus Origine, l. 1, cap. 9, n. 11, sic ait: « Non baptizatis parvulis nemo promittat » inter damnationem regnumque celorum quietis vel felicitatis cujuslibet atque ubilibet quasi medium locum; » hoc enim et hæresis Pelagiana promisit. » 3<sup>o</sup> Concilium Florentinum supra relatam dicit animas eorum qui in solo originali peccato decedunt, pœnis disparibus esse puniendas: animæ autem quæ beatitudine naturali gaudent, vero sensu non punirentur: ergo. Unde *Bellarminus*, de Amissione Gratiae, l. 6, cap. 2, n. 1: « Fide catholica » tenendum est parvulos sine Baptismo decedentes, ab » solute esse damnatos, et non sola cœlesti, sed etiam » naturali beatitudine perpetuo carituros. » Idem habet *Bossuet*, *Défense de la Tradition*, l. 5, c. 2, et in Epistola ad Innocentium XII.

Quia tamen Ecclesia opinionem *Catharini* et cardinalis *Sfondrate* nunquam expresso iudicio profligavit, stricte dici non potest ejus defensores esse hæreticos.

Tertia sententia eorum est qui tenent parvulos sine

Baptismate morientes, nulla quidem fruituros beatitudine naturali, sed de illius amissione nullum percepturos dolorem neque internum, neque externum. Sic *S. Th.*, quæst. 5, de Malo, art. 1, 2 et 3, et in 2 sentent., dist. 33, atque, post ipsum, multi scholastici.

Quarta sententia tenet infantes sine Baptismo decedentes, pœna sensus non esse plectendos, sed perpetuam habituros tristitiam de amissione beatitudinis ad quam in origine erant destinati. Sic *Bellarminus*, in libro citato, cap. 6 et 7: plurimis nititur testimoniis *S. Aug.* et *S. Gregorii*, atque sic ratiocinatur: In die iudicii infantes peccato originali maculati, multos sui generis, et fortasse parentes ac fratres aspicient in cœlum cum ingenti gloria ascendere, se vero perpetuam ab eorum glorioso consortio, cui erant destinati, exclusionem passuros: at impossibile videtur eos aliquem non percepturos dolorem de tali exclusionem, nisi dicatur illos ad naturam rerum sentientium reducendos esse; quod certe admitti non potest: ergo.

Posterior hæc sententia communius tenetur et probabilior videtur: in ea facile explicantur decretum concilii Florentini et pleraque sanctorum Patrum testimonia, damnandos atque puniendos esse istiusmodi infantes pronuntiantia.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

Peccatum mortale illud dicitur quod gratiam sanctificantem destruendo, mortem animæ affert, et pœna æterna hominem reddit dignum. Per peccatum autem veniale illud intelligitur quod gratiam sanctificantem non destruit, sed tantum ejus operationem minuit et ad peccatum mortale disponit.

Quæritur in hoc capite 1<sup>o</sup> an peccatum mortale et peccatum veniale essentialiter differant; 2<sup>o</sup> quibus signis unum